



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. Contra quem ferri debeat sententia, quando Dominus agit per procuratorum, & quomodo sententia sit probanda?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

publico, ubi tribunal ordinarium habet Index (si ordinarius sit vel si delegatus sit ad universitatem causarum in loco delegantis; si vero delegatus sit ad particularem tantum causam decidendam, ferre sententiam potest in quovis loco honesto & congruo, cum certum tribunal non habeat) & tempore congruo, die scilicet non feriato, & eo tempore, ad quod citatio facta fuit; de die & non de nocte; prout sumitur ex *c. Consuluit. 24. de offic. deleg.* tum ut omni falsitati preveniatur, cui tenebræ potiùs quàm dies conducunt, tum ut ne partes extraordinarie graventur, si vel loco vel tempore extraordinario comparere debeant &c. Multum tamen in his potest ipsarum partium litigantium consensus & loci consuetudo, quæ observari debent.

§. V.

Contra quem ferri debeat sententia, quando Dominus agit per procuratorem, & quomodo sententia sit probanda?

DE jure Civili contra Procuratorem ordinariè ferri debet sententia, si per procuratorem civiliter agatur, & cum hoc nomine quidem absentis, lis contestata fuerit, *L. 1. Cod. de sentent. & interlocut. &c.* quia Procurator per litem contestationem fit Dominus litis, ut cum hoc quasi contractum censetur. Ius tamen Canonicum ad has legales subtilitates nihil attendit, ita ut sententia de jure Canonico valeat, si per Procuratorem, si in principalem personam absentem concipiatur, qui enim per alium facit, perinde est, ac si faceret per seipsum, juxta *Reg. Jaris 72. in 6.*

Pirking. Compend.

Probari etiam potest & debet sententia, si scriptura deperdita sit, per duos testes *c. Cum olim 12. de Privileg.* ita tamen ut tria in tali casu probanda sint, actum scilicet fuisse celebratum, instrumentum super eo confectum, & hoc amissum fuisse, juxta *L. testium 18. Cod. de Testibus.*

§. VI.

Quomodo sententia ferenda sit conformiter Libello. Et an si in illo certa causa expressa sit, ea probari debeat?

Sententia ferri debet secundum tenorem & formam Libelli, *Clement. sape 2. de V. S.* & quidem in tribus conformis esse debet Libello sententia. In re scilicet (ut Index non pronuntiet de alia re, quàm quæ petita est, nisi universali-ter illa insit rei petitiæ: aut causa, quæ agitur fuerit criminalis; vel in supremo tribunali agatur) in causa petendi (ut Index aliam causam non proferat) & in actione (ut eam actionem sequatur Index, quam Actor instituit) sive condemnet, sive absolvat.

Si specialem causam expressit Actor in suo Libello, & eam probare non possit, succumbit in iudicio, & reus absolvitur; quamvis post litem contestatam nova causa superveniret, ex qua vincere posset Actor, cum sententia feratur juxta causam, quam in iudicium deduxit; si verò ex generali tantum causa Domini v. g. nullâ speciali causâ expressâ res petatur, tum sufficit actori ad fundandam suam intentionem quamcumque justam causam probare. *c. Abbate 3. h. t. in 6. vi* cujus illi competat dominium v. g.

Bbb quid-